



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Cursus Theologicus**

**Gormaz, Juan Bautista**

**Augustae Vindelicorum, 1707**

Tractatus De Spe Theologica.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81950](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81950)



# TRACTATUS DE SPE THEOLOGICA.

1. **A**ugustinus in Enchiridio cap. 8. late ostendit, spem Theologicam multiplici ex capite à fide differre: fides namque credit bona, & mala, Sanctorum Beatitudinem, & pœnas impiorum; at spes, cum sit amor, seu desiderium fiduciale, non sperat mala, sed bona: mala eadem non speramus, sed timemus; ideòque Virgilius valde improprie locutus est: quando dixit: *Sperare dolerem*: En Verba Augustini; porro etiam aliquid, quod non speratur, credi potest; quis namque fidelium pœnas non credit impiorum? nec sperat tamen; & quisquis eas imminuere sibi credit, ac fugaci motu animi exhorret, rectius timere dicitur, quam sperare: quæ duo Lucanus distinguens ita complexus est, liceat sperare timenti, non autem ab alio Poëta, quamvis meliore, proprie dictum est: *hunc ego si potui tantum sperare dolerem*. Rursus fides, ut ibi etiam notat Augustinus, est circa præterita, præsentia, & futura: sic credimus Christum resurrexisse, sedere ad dexteram Patris, & venturum ad iudicandum: neque solum credimus ea, quæ respiciunt nos, sed etiam ea, quæ alios respiciunt: sic credo me non fuisse æternum, sed incepisse in tempore, quod etiam credo de aliis hominibus, & Angelis; at spes non tendit circa præterita, & præsentia, sed tantum circa futura, nec respicit ulla bona, nisi quodammodo confiderentur pertinentia ad sperantem; qui enim præterit dignitatem, statim atque certò co-

gnoscit non sibi, sed æmulo suo esse conferendam, jam illam sperare non potest, ex eo præcisè, quòd talis collatio non repræsentetur illi, ut sibi bona: quare actus spei & reverà est, & merito vocatur à Theologis actus concupiscentiæ, cum iste in eo consistat, quod aliquis velit bonum, quia sibi bonum: En Verba Augustini: *Spes autem non nisi bonarum rerum est, nec nisi futurarum, & ad eum pertinentium, quæ earum spem gerere perhibetur*. Tandem spes, cum sit amor objecti sperati, pertinet ad voluntatem; fides verò, cum sit assensus adhibitus objecto per simplicem adhæsiōnem Dei, pertinet ad intellectum: atque hoc ultimum discrimen ita accuratè tradit Augustinus: *jam de amore quid dicam, sine quo fides nihil proficit; spes verò sine amore esse non potest: unde juxta Augustini doctrinam objectum spei Theologicæ non est bonum utcumque, sed repræsentatum saltem, ut probabiliter futurum pro libito illius, qui sperare potest: ideòque ut concipiatur spes, necesse est, ut eliciatur desiderium fiduciale talis boni: qui enim desiderat aliquid bonum cum diffidentia de illius consecutione, non quidem sperat, sed potius desperat; sicut non sperat, sed præsumit, qui per media non apta desiderat; sic qui invitus ducitur, ut suspendatur in patibulo cum omnimoda diffidentia de longiori vita, non sperat, sed desperat longiorem vitam, quamvis affectu naturali longiorem vitam desideret.*

## DISPUTATIO I.

### DE NATURA, ATQUE OBJECTO MATERIALI, ET FORMALI SPEI THEOLOGICÆ.

2. **S**pes Theologica tripliciter sumi solet in Sacra Scriptura; primò quidem pro ipso objecto sperato: sic dicitur Psal. 13. *Domine spes mea est*, & Psal. 90. *Tu es Domine spes mea*; secundò pro actu: sic Paulus ad Romanos 8. *Spe salvi facti sumus*; tertio pro habitu, seu qualitate permanente ex parte potentiæ: sic 1. Corinthiorum 13. *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc*. Quo in sensu intelligantur aliqua Scripturæ, & Patrum testimonia, quibus abutuntur hæretici ad confundendam fidem cum spe, declaravimus jam à num. 32. de fide: cæterum quia fides divinarum promissionum certissima est, qua credimus, quod

de Deo tradit Scriptura 1. ad Thimoth. 1. *Omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*. Ezechielis 18. *namquid voluntatis mea est mors impij, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur a viis suis, & vivat, & cap. 33. Nolo mortem impij, sed ut convertatur impius a via sua, & vivat; exinde ex parte Dei spes nostra firmissima est; non enim est Deus sicut homo, qui illudat, & promissa non adimpleat; quare licet sæpe confundamur, quia speravimus in homine; nunquam tamen confundemur, quia speravimus in Deo: quo in sensu ait Apostolus ad Rom. 5. *Spes autem non confundit*, sic & Tobia 2. dicitur:*

citur: Filij Sanctorum sumus, & vitam illam expectamus, quam daturus est eis, qui fidem suam nunquam mutant; id est Deus, qui fidelis est, constans in promissis; & ad Rom. 5. *Gloriamur in spe glorie secundum spem vite eterne, quam promisit, qui non mentitur Deus,* vide num. sequenti.

## SECTIO I.

## De quidditate, &amp; objecto Spei.

3. Suppono 1. Actum spei Theologicæ, utpote pertinentem ad voluntatem, non esse formaliter certum: certitudo enim formalis solum convenit actui intellectus; nihilominus quia actus spei Theologicæ fundatur in fide certissima de divinis promissionibus, ut diximus num. superiori, & constat ex Paulo ad Hebræos 11. *Est autem fides sperandarum substantiarum rerum, exinde spes non quidem intrinsecè, sed quasi participativè per denominationem extrinsecam ab actu certissimo fidei, in quo radicatur, denominari solet certa, ut notavit D. Thomas 2. 2. quæst. 18. art. 4. in Corpore: & sic etiam spes certitudinaliter tendit in suum finem, quasi participans certitudinem à fide qua est in vi cognoscitiva, & ibidem ad secundum, quod aliqui habentes spem deficiunt à consecutione Beatitude, contingit ex defectu liberi Arbitrii ponentis obstaculum peccati; non autem ex defectu divina potentie, vel misericordie, cui spes innititur; unde hoc non præjudicat certitudini spei; atque in eo sensu intelligitur Paulus 1. ad Corinthios 1. *Ut spes nostra firma sit pro nobis, & ad Hebræos 6. Confingimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus anime tutam, ac firmam;* tum etiam Anselmus, Ambrosius, & alij, qui pro spe firma, reponunt certam: & Tridentinum sess. 6. cap. 13. dum ait: *Nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur, tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare, & reponere omnes debeant.**
4. Suppono 2. ex dictis num. 6. de Beatitudine, dari finem qui, finem quo, & finem cui; finis qui est res illa, quam ratione sui per actum appetimus quasi ultimum bonum operationis; finis quo est habitudo, unio, seu possessio ipsius finis qui; tandem finis cui est ille, à quo finis qui possidendus est: explicatur exemplò, spero obtinere Deum per formalem Beatitudinem, sive per visionem, & amorem beatificum, illumque ut bonum mihi fiducialiter desidero: unde fit, quod Deus ipse est finis qui; formalis Beatitudo, qua possideri desideratur, est finis quo, & ego ipse, qui Deum mihi desidero, sum finis cui. Suppono 3. Spem utpotè respicientem finem qui, ut futurum, & consequibilem per intimam possessionem, non posse exercere gaudium de objecto, ut ita jam possesso, cum adveniente ea possessione deficiat
- R. P. Gormaz Theolog. Tom. I.

futuricio ad spei tendentiam requisita, ut constat ex num. 1. atque ipsa spei natura demonstrat, & docet Paulus ad Rom. 8. *Spes autem qua videtur, non est spes; nam quod videt quis, quis sperat; si autem quod non videmus, speramus, per patientiam expectamus;* quare ex aliis virtutibus, quæ eliciunt gaudium circa suum objectum, ut possessum, defumi nequit paritas ad spem: nam illæ aliæ virtutes ad exercitium suorum actuum non exigunt objecti primarij futuritionem, qualem exigit Spes: unde per spem solum gaudere possumus, de actu ipsius, quo primarium suum objectum respicit, ut futurum, & desiderat, juxta doctrinam ipsius Apostoli in eadem Epist. ad Rom. 12. *Damino servientes, spe gaudentes.*

5. Quapropter Beati licet videant, quod ipsorum Beatitudo est ipsis bona, totum ipsorum bonum amant per ardentem charitatis amorem; quia bonum illud Deo placet, ut diximus num. 261. de Beatitudine: quòdli aliquando supernaturaliter amant eadem bona, quia ipsis bona, cum iste non sit frequens agendi modus Beatorum, non exigit specialè virtutem; sed sat est omnipotentia extrinsecè applicata, & tunc ille erit amor concupiscentiæ, qui stat in eo, quòd aliquis velit bonum, quia sibi bonum; at nan erit amor spei, qui supra istum conceptum addit velle bonum futurum, & non possessum: unde sicut omnis homo est animal, at non omne animal est homo; ita omnis actus spei est actus concupiscentiæ, at non omnis actus concupiscentiæ est actus spei: siverò Beati ex prævia tanti boni cognitione necessariò amant naturaliter illa bona, quia ipsis bona, exinde erit, quia ex tanto gloriæ pondere naturalis potentia obruetur ad exerendas naturales suas vires juxta ea, quæ diximus à num. 733. de fide; cumque actus naturales non specificent habitum per se infusum, ex illo modo agendi argui non potest in Beatis novus habitus per se infusus. His positus.

6. Affero 1. contra aliquos Theologos, quos suppresso nomine citat Oviedus Controversia 1. De spe puncto 2. num. 8. Habitudo spei Theologicæ est virtus Theologica, non quidem ad intellectum, sed ad voluntatem spectans. Probatur conclusio: spes nostra non est virtus Theologica expressiva, sed affectiva; ergo non pertinet ad intellectum, sed ad voluntatem. Probatur ant. spes attingit Deum ultimum finem, ut bonum nobis, non quidem præferendò nos Deo, quod esset vitium; sed præferendò Deum nobis; cum non velimus Deum nobis, ut ipse ullo modo à nobis perficiatur, sed potius, ut ipse tanquam infinita bonitas, ultimusque noster finis perficiat, & satiet nos: hæc enim tendentia virtuosa est, cum sit conformis naturæ rationali, ut rationali; & Deus, qui non ad malum, sed ad bonum hortari potest, hortetur nos ad illam in Sacra Scriptura: sic 1. Corinthiorum 9. *Omnis, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinere, & illi quidem,*

quidem, ut corruptibilem coronam accipiant; nos autem incorruptam. Ad Colossenses 3. Quodcumque facitis, ex animo operamini, sicut Domino, & non hominibus, scientes, quod à Domino accipietis retributionem hereditatis. 1. Petri 5. Cum apparuerit Princeps Pastorum, percipietis immarcescibilem gloria coronam, & Apocalypsis 2. Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ; unde Tridentinum sess. 6. cap. 16. Bene operantibus usque in finem, & in Deo sperantibus, proponenda est vitæ aeterna, & tanquam gratia Filiis Dei per Christum Jesum fideliter promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, & meritis fideliter reddenda: & Can. 31. Si quis dixerit, justificatum peccare, dum inuitu eterne mercedis bene operatur, Anathema sit. Ex quibus omnibus habetur, quod Deus non solum consulit, sed etiam præcipit, ut ipsum fiducialiter desideremus tanquam ultimum nostrum finem: unde Alexander VII. 24. Sept. anno 1667. inter viginti octo propositiones hanc ordine primam damnavit: *Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium*: atqui virtus data ad elicendum desiderium fiduciale Beatitude non est expressiva, sed affectiva: siquidem desiderium non pertinet ad intellectum, sed ad voluntatem: ergo &c.

7. Respondebis: 1. ex Durando, spem rigorosè & simpliciter loquendò non videri esse virtutem: unde neque erit virtus expressiva, neque affectiva; ratio ejus est, quia virtus voluntatis ex Philosopho 1. Ethicorum est dispositio perfecti ad optimum; spes autem, cum non verletur circa objectum possessum, sed circa futurum, non est dispositio perfecti, sed perficiendi: quin potius dispositio perfecti est rectus, & non turpis, & inversus tendendi ordo; at spes, cum Deum velit ut nobis bonum, non videtur habere rectum, sed potius turpem, & inversum tendendi ordinem; nam Deum nobis velle est referre Deum ad nos tanquam ad finem, quod turpe est, & inordinatum; cum Deus sit finis, ad quem referenda, & cui volenda sunt omnia. Contrà tamen 1. Virtus non est dispositio perfecti præsuppositivè, sed constitutivè in sua linea; cum non supponat hominem ante virtutem habitualiter, & stabiliter virtuosum, sed talem constituat; quod certè convenit spei, quæ in sua linea reddit hominem habitualiter, & stabiliter virtuosum, licet exerceat actus circa objectum futurum; neque virtus est dispositio perfecti ad optimum sumptò optimò pro optima omni operatione, num cum optima omnium operatio sit sola charitas, sola charitas esset virtus, quod est contra Philosophum plures voluntatis virtutes admittentem; sed dicitur dispositio perfecti ad optimum, sumptò optimò pro honesto, quod quidem est optimum inter tria bonorum genera cum, sit melius utili, & jucundò; hoc autem bonum certè re-

spicit spes, cum honestum sit, & nature ut rationali valde conformis, Deum finem suum ultimum omnibus aliis præferre, illumque quærere, & desiderare; neque in modo quærendi, & desiderandi reperiri potest ulla inordinatio; siquidem spes non ordinat Deum ad nos præferendò nos illi, sed subjiciendò nos ipsi Deo, tanquam ab ipsa sua sola infinita bonitate misericorditer satiosos, & perficiendos; in quo nulla fingi potest inversio, & inordinatio: ergo &c. Contrà 2. Deus non solum est ultimus sibi finis, & sibi bonus, sed etiam est ultimus noster finis, & nobis bonus: ergo non solum amamus ordinatè, & virtuosè Deum, ut ultimum sibi finem, sibi que bonum, sed etiam ut ultimum nobis finem, nobisque bonum.

Respondebis 2. ex Arriaga, habitum spei rigorosè, & simpliciter loquendò non stare solum in qualitate pertinente ad voluntatem, sed etiam in qualitate pertinente ad intellectum, ac proinde esse complexum ex utraque; respositio ejus est, quia actus spei complectitur desiderium, & fiduciam, ita ut desiderium sit actus voluntatis procedens ab habitu voluntatis, qui dicitur spes, & distinguitur realiter à fide, & charitate. At fiducia est actus intellectus consistens in judicio de eo, quod saltè probabiliter objectum desideratum obtinebitur, idè que fiducia specificat habitum intellectus; unde spes adæquatè sumpta constituitur ex illo duplici habitu. Contrà tum 1. Licet objectum in diverso statu non specificet actus diversos, quando in utroque statu retinet eandem vim ad movendum, ut patet in infallibili Verbo Dei, quod eandem vim retinet ad movendum modò, quam retinebat in justanti, in quo prolatum fuit, cum ratione illius res restituta nunquam possit amittere suam infallibilitatem ex illo Christi Matth. 24. *Calum, & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt*. At si consideretur pro diverso statu, in quo non habet eandem vim approximatum ad movendum, non potest eundem actum specificare: sic revelatio possibilis non sufficit, ut ego infallibiliter modò credam fide divina, sicut sufficit, quæ facta est; unde secundum diversitatem virtutis motivæ, quæ reperitur pro diverso statu illius virtutis, specificantur actus diversi: atqui bonitas objectiva, licet non possit specificare actum indivisibilem voluntatis, qui sit desiderium fiduciale, si non proponatur mihi ut consequibilis, potest tamen specificare indivisibilem voluntatis actum, qui sit desiderium fiduciale, si proponatur mihi certò, vel saltè probabiliter consequibilis, ut experientia demonstratur: ergo desiderium fiduciale non stat in duplici actu, quorum unus pertineat ad intellectum, & alter ad voluntatem, sed stat in indivisibili actu voluntatis.

Contrà 2. et explicatur eadem ratio: Bonitas objectiva secundum diversam ejus propositionem specificat diversos voluntatis affectus: si enim

si enim bonum aliquod consideretur ut possessum, terminat gaudium; si consideretur secundum se, terminat amorem strictum, aut simplicem complacentiam; si ut non possidendum, terminat desiderium differentiale; ita ut neque gaudium includat actum simul intellectus, & voluntatis, sed consistat in indivisibili actu voluntatis procedente ab objecto proposito ut possessio; quod idem est sub modo de aliis enumeratis affectibus: ergo si bonum proponatur ut possidendum, terminabit desiderium fiduciale, quod consistat non quidem in complexo actus intellectus, & voluntatis, sed in indivisibili actu voluntatis. Contra 3. Bonum cognitum ut probabiliter obtinendum non terminat eundem voluntatis affectum, sive idem desiderium, quod terminat bonum cognitum ut non obtinendum, ut ex experientia constat; sic veritas pure possibilis conditionate futura, & absoluta, non specificant eandem, sed diversas intrinsece scientias; unde desiderium, quod terminat objectum cognitum, ut probabiliter obtinendum, intrinsece, & essentialiter, distinguitur a desiderio, quod terminat objectum cognitum, ut non possidendum: sed in hoc stat, quod primus affectus sit essentialiter desiderium fiduciale: secundum autem desiderium differentiale: ergo &c. Contra 4. ex D. Thoma 2. 2. quaest. 18. art. 1. in Corpore: *habitus per actus cognoscuntur; actus autem spei est quidam motus appetitive partis, cum sit eius objectum bonum.* Quod late probaverat 1. 2. quaest. 40. art. 2. in Corpore: sed exinde apparet, actum spei esse actum tantummodo voluntatis; non autem complexum ex actu intellectus, & voluntatis: ergo &c.

10. Affero 2. Actus spei Theologicae intrinsece, & essentialiter est desiderium fiduciale supernum Beatitudinis Deo auxiliatori innixum. Probat, & explicatur conclusio: spes ex natura sua, ut constat a num. 1. est desiderium fiduciale, unde si contrahatur ad Theologicam, quae supernaturalis est, erit desiderium fiduciale supernum; insuper cum per spem Theologicam desideremus aeternam nostram beatitudinem, & objectivam quidem tanquam objectum primum, neque possimus alia secundaria objecta sperare, nisi cum respectu ad Beatitudinem, ut diximus a num. 86. de fide cum D. Thoma, ubi ait; *spes quidem principaliter respicit Beatitudinem aeternam; alia vero, quae petuntur a Deo, respicit secundario in ordine ad Beatitudinem aeternam;* exinde primum eius conceptus est, ut sit desiderium fiduciale supernum Beatitudinis; insuper Beatitudo objective considerata, sive ut est finis qui, est ipse Deus, qui solus est Beatitudo nostra objectiva, quemque spes utpote virtus Theologica respicit ut objectum formale quod a quo specificatur, ut diximus a num. 55. de fide. Dicitur tandem Deo auxiliatori innixum; quia haec nostra Beatitudo cum supernaturalis sit, non potest obtineri viribus nostris,

sed auxilio divino, in quo fiduciam reponimus, proindeque Deus, ut auxiliator est objectum formale spei secundum rationem fiduciae, ut dicemus a num. 15. ergo conceptus iste a nobis assignatus essentialiter convenit actui spei Theologicae.

Affero 3. Objectum materiale spei Theologicae est bonum arduum, & futurum, futuritione salte possibili pro libito eius, qui sperare potest. Probat, objectum materiale spei Theologicae est supernaturalis Beatitudo; ut constat ex Tobia, & Paulo adductis num. 2. cumque ad Beatitudinem supernaturalem obtinendam non sufficiant vires nostrae, sed indigemus supernaturali Dei auxilio, exinde spes Theologica respicit bonum, ad cuius consecutionem indigemus auxilio alterius; atqui bonum, ad cuius consecutionem indigemus auxilio alterius est bonum arduum, ut cum D. Thoma late docet Exim. Doct. disp. 1. de spe sect. 3. atque ex ipso naturae lumine constat; nulli etenim est facile obtinere, quod absque auxilio alterius obtinere non potest: unde D. Thomae 2. 2. quaest. 17. art. 1. ait: *objectum spei est bonum arduum, futurum possibile haberi;* & ibidem art. 5. distinguit spem a magnanimitate, quia magnanimitas tendit ad bonum ut auxilio proprio obtinendum; spes vero in bonum arduum assequendum auxilio Dei; quod etiam tradit 1. 2. quaest. 40. art. 1. unde objectum materiale spei Theologicae est bonum arduum. Rursus de natura spei est, quod respiciat bonum futurum, ut constat ex Paulo num. 4. & ex August. num. 1. atque ipsa experientia demonstrat: ergo objectum materiale spei Theologicae est bonum arduum & futurum.

Rursus, quod futuritio talis esse debeat, qualis in conclusione assignatur, facile ostenditur, quia ut possimus sperare, non requiritur, quod habeamus certitudinem de eo, quod obtinebimus bonum speratum; siquidem plures fideles sperant spe Theologica, & postea in plura peccata prolapsi damnati sunt, atque adeo Beatitudinem certo amiserunt; unde ad actum spei non praelucet indispensabiliter certitudo de obtinenda absolute Beatitudine, quam fideles sperant; quapropter licet cognitio certa de Beatitudine obtinenda, non officiat, ut absolute quis sperare possit, ut patet in illis fidelibus, qui habuerunt divinam revelationem de sua praedestinatione, & tamen verè, & constanter illam sperabant; atque in animabus purgantibus, quae verè sperant, & de sua aeterna salute certitudinem habent; at talis certitudo non est necessarii praerequisita, ut aliquis absolute possit elicere actum spei Theologicae, id circo sufficit futuritio saltem possibilis pro libito eius, qui sperare potest v. g. si ego habeam auxilia supernaturalia Deo collata, quibus pro mea libertate possum, si velim Beatitudinem obtinere, tunc jam Beatitudo potest pro libito meo fieri futura, & tunc ego possum, si velim, eam sperare.

C c c c 3

Hæc

13. Hæc autem futuritio vel potest esse stricta, quæ stat in carentia existentia nunc, & existentia postea, qualis intercedit respectu objecti primarij spei Theologicæ, nempe Beatitudinis, cum spes nostra Beatitudinem præcedat, nec possit in eodem instanti cum illa componi, ut constat ex num. 4. aliter actus fidei illuminans ad concipiendam spem, posset etiam in eodem instanti componi cum Beatitudine, quod falsum esse constat ex sæpè dictis in tract. de fide, vel potest etiam futuritio esse lata, qualis dari potest respectu objecti secundarij, sive respectivi, in eo consistens, quod licet actus spei non sit prior tempore re sperata, proindeque non representetur objectum cum carentia existentia nunc, & existentia postea: at actus spei est prior naturâ re sperata, cum qua in eodem instanti conjungi potest; quod ab aliquibus Theologis cum Hurcador, Oviedo, & aliis explicatur ita: potest Deus dicere Angelo in instanti B. si in hoc instanti elicias amorem erga me, dabo tibi gratiam; Angelus autem in eodem instanti, quo Deus illi loquitur, Deum intelligit, potestque sperare auxilium à Deo ad actum eliciendum, mediòque illo consequi gratiam; Deus etiam conferre potest in eodem instanti auxilium & gratiam promissam, & sic Angelus in eodem instanti gratiam speraret, & obrineret; in hoc enim nulla assignari potest repugnantia: sed in hoc stat, quod ad talem actum spei sufficiat futuritio lata de suo objecto: ergo &c.

14. Affero 4. Beatitudo nostra objectiva est objectum materiale primarium spei Theologicæ, per modum finis *qui*: Beatitudo verò formalis est objectum minus præcipuum per modum finis *quo*; alia verò bona ad Beatitudinem conducentia sunt objectum materiale, quasi respectivum. Probarur facillè ex dictis: illud est objectum materiale primarium, & per modum finis *qui* spei Theologicæ, quod speramus, ut in eo, quiescamus; sed talis est Deus Beatitudo nostra objectiva: ergo &c. Rursus illud est objectum materiale minus præcipuum per modum finis *quo*, quod se habet ut unio ad possidendum finem *qui* speratum: hoc autem solum convenit Beatitudini formali: tandem illud est objectum materiale, quasi respectivum, quod licet in se habeat bonitatem distinctam à fine *qui*, & *quo*, at non attingitur per spem, nisi cum respectu ad Beatitudinem: sed talia sunt reliqua omnia bona, quæ per Theologicam spem speramus: cum ea omnia speramus, prout ducunt ad Beatitudinem, sive prout dicunt respectum ad illam, ut constat ex D. Thomæ cit. num. 10, ergo &c.

15. Affero 5. Objectum formale spei Theologicæ non solum correspondet formalitati desiderij respicientis nostram Beatitudinem, in quo relucet amor concupiscentiæ, præferentis objectum formale *quod*, & *cui*; verum etiam correspondet formali fiduciæ. Probarur conclusio facillè ex dictis. Actus spei Theologicæ,

ut constat ex num. 10. est desiderium fiduciale, supernum Beatitudinis, ac proinde formalitati desiderij correspondet ut objectum formale bonitas beatitudinis, propter quam illam nobis speramus; unde bonitas Beatitudinis est objectum formale *quod* amatum, & desideratum; nos autem ipsi, quibus bonitatem illam Beatitudinis speramus, sumus objectum formale *cui*, in quo relucet amor concupiscentiæ præferentis objectum formale *quod*, & *cui*; ita ut spes non possit bonum attingere, nisi representetur ipsi speranti bonum, ut constat ex num. 1. Rursus spes secundum formalitatem fiduciæ respicit motivum, ratione cujus confidit Beatitudinem obtinere, quod nempe est Deus, ut Auxiliator, si quidem in Deo, ut auxiliatore fiduciam nostram reponimus, cum sine illius auxiliis non possumus viribus nostris Beatitudinem speratam obtinere: ex quo, ut constat ex num. 11. habetur arduitas in objecto spei: ergo &c. Ex dictis

Fit 1. Deum, ut auxiliatorem, ac proinde, ut promittentem, quod per ipsum non itabit, quo minus habeamus auxilia requisita, quibus si homo velit, possit obtinere salutem, esse objectum formale spei Theologicæ secundum formalitatem fiduciæ; ratio est, quia Deus, cum antecederet ad suam promissionem sit omnino liber ad conferenda, vel non conferenda supernaturalia auxilia creaturis, non potest aliter nos certificare de eo, quod per ipsum non stabit, ne conferantur nobis auxilia, nisi illa promittendò, vel revelandò illa nobis conferre; quod perinde est ad rem nostram, ut habeamus fidem de divinis promissionibus; fides enim occurrit, ut certissimè representans divinam promissionem, & promissio divina ut representata, est movens ad concipiendâ fiduciâ ex dictis à nû. 8. Quamobrem D. Thomas quæst. unica de spe art. 1. ait: *sicut objectum formale fidei est veritas prima, ita etiam objectum formale spei est auxilium divine potestatis, & pietatis, propter quod tendit motus spei in bona sperata, quæ sunt materiale objectum*, & art. 4. *spei autem, secundum quod est virtus Theologica objectum formale est divinum auxilium, cui inebet, & Bonaventura in tertium distinctione 26. art. 1. quæst. 11. Spes facit considerare, & inibi summa, & immensa largitati, sicut fides facit assentiri prima veritati: unde quæst. 3. addit: sicut fides assentit Deo ut dicenti vera; sic spei inmittitur ut promittenti magna; quia potius Scriptura ad Deum promittentem, & auxiliatorem revocat fiduciam nostram. Sic Psalm. 17. Deus meus adjutor meus, & sperabo in eum, & Paulus & Rom. 5. Gloriamur in spe glorie secundum spem vitæ æternæ, quam promissis, qui non mentitur Deum. Vide n. 2. & Tridentinum num. 6.*

Fit 2. Non posse haberi certitudinem actus fidei, in quo juxta Scripturarum, Tridentini, & P. P. testimonia superius adducta debet radicari actus spei Theologicæ, nisi detur fides

fides de promissione divina dandi auxilia ad Beatitudinem obtinendam; ita ut non speret per Deum, quin auxilia conferantur; unde si Christus solum esset mortuus pro generibus singulorum, & non pro singulis generum, non possent singuli hominum pervenire ad statum, in quo possent Theologicè sperare, ideòque non possent obligari præcepto supernaturali spei contra definitionem Alexandri VII. cit. num. 6. Ratio est, quia illi, pro quibus Christus mortuus non esset, non haberent promissionem divinam de collatione auxiliorum ad Beatitudinem obtinendam, ita ut non staret per Deum, quo minus auxilia illa reciperent; cum nulla auxilia hominibus conferantur in statu naturæ lapsæ, nisi per Christi merita; neque transgressio præcepti spei posset attribui hominibus illis ratione demeriti, & libertatis in Adamo tanquam in capite, sive ratione peccati originalis liberè ab Adamo commissi; id enim sui in illo actuale, quod in nobis est originale: quod autem ea libertas non sufficiat, constat ex Alexandro VIII. inter 31. propositionem damnante primam, quæ sic habeat: *in statu naturæ lapsæ ad peccatum formale, & demeritum sufficit illa libertas, quæ voluntarium, & liberum fuit in sua causa peccato originali, & libertate Adami peccantis.* Sed ille, qui non habet promissionem divinam de eo, quod quantum est ex parte Dei, non deficient illi auxilia, quibus post Adami peccatum posset mereri, & demereri per exercitium libertatis personalis, licet non speraret, non exinde transgrediretur præceptum spei Theologicæ, quod impleri non potest sine talibus auxiliis; aliter obligaretur ad impossibilia, quod est contra lumen naturæ, & contra Tridentinum sess. 6. cap. 11., ubi ait: *Deus impossibilia non præcipit*: ergo &c. Vide quæ de his latè diximus à num. 185. de Gratia.

18. Fit 3. Formalitatem desiderij, quæ talem, & formalitatem fiduciæ, quæ talem, diversimodè respicere suum objectum formale: ratio est, quia formalitas desiderij ita respicit pro suo objecto formali bonitatem speratam constitutam ex fine *qui*, & *quo* requisitis ad constituendum finem *cujus*, ut Philosophi, & Theologi ajunt, & dicemus à num. 33. ut illam amet propter bonitatem, quam habet speranti bonam; unde illam ex necessitate respicit tanquam objectum formale *quod*, sive intrinsecè, ut alij vocant, ex dictis à num. 53. de fide: at fiducia non respicit ex necessitate objectum motivum tanquam objectum formale *quod*; sed potest respicere objectum motivum tanquam objectum formale *quo*, sive extrinsecè, ut alij ajunt: ratio est, quia ad concipiendam fiduciam satis est, quod representetur nobis bonum, quod desideramus futurum saltem pro libito nostro: atqui ut ita representetur, non est necesse ex vi formalitatis fiduciæ, ut illud amemus; sæpè enim contingit, quod motivum efficax ad fiduciam non ametur à speran-

te; sic qui cognitò peccatò æmuli, quo indignus factus est ad dignitatem, quam obtinisset, si non peccasset, concipit fiduciam obtinendi dignitatem, aut qui illam concipit ex peccato præsupposito ipsius conferentis, non exinde amat peccatum æmuli, neque peccatum conferentis dignitatem, sine quo fiduciam illam non concepisset; sic etiam ille, qui credit per fidem Deum promississe dare auxilia illi ad obtinendam Beatitudinem, licet non advertat ad amandam, neque amet divinam promissionem, sed eam verè jam præsupponat cognitam, ut existentem, potest quàmoprimè concipere fiduciam de obtinenda Beatitudine; sed in eo stat, quòd motivum fiduciæ non attingatur intrinsecè, sive ut objectum formale *quod*, sed tantum ut objectum formale *quo*, sive ut motivum extrinsecum fiduciæ: ergo &c.

19. Fit 4. Bonitatem Beatitudinis, si consideretur saltem tanquam finis *cujus* constitutus ex fine *qui*, & *quo*, propter quam illam nobis speramus, esse objectum formale *quod*, & quidem necessarium secundum formalitatem desiderij; bonitatem verò aliorum objectorum, quæ speramus extra Beatitudinem esse objectum formale *quod* minus necessarium, sive respectivum; ipsum verò sperantem esse objectum formale *cui*; unde spes Theologica à proprio sperantis interesse nunquam præscindit. Ratio est, quia objectum illud, quod propter suam bonitatem nobis bonam desideramus, & propter quod ad alia bona tendimus, est id, cujus gratiâ agimus, & desideramus, ideòque à Philosophis vocatur finis *cujus*, nempe cujus gratiâ reliqua sunt; sed respectu concupiscentiæ reliqua sunt ratione finis *qui*, & finis *quo*; atque in casu nostro ratione Beatitudinis constitutæ ex fine *qui*, & ex fine *quo*: unde bonitas Beatitudinis consideratæ tanquam finis *cujus* est objectum formale *quod*, & necessarium spei secundum formalitatem desiderij. Rursus reliqua bona per spem Theologicam attracta, & quæ etiam nobis desideramus propter suam bonitatem nobis bonam, cum ea desideremus respectivè ad Beatitudinem, ut constat ex num. 10. sunt objectum formale *quod* minus necessarium, sive respectivum: ergo spes Theologica ea bona respicit tanquam objectum formale *quod* respectivum: hæc omnia satis constant ex dictis, & clariora fient à num. 33.

20. Fit 5. Animam in statu sanctæ indifferentiæ habere posse desideria voluntaria, & deliberata propter suum interesse etiam in iis occasionibus, in quibus toti suæ gratiæ fideliter cooperatur. Ratio est; quia status in eo differt ab aliquo virtutis, quia actus est transiens; status verò est permanentis, & quasi stabilis pro aliqua longa differentia temporis; atqui nullus est assignabilis talis status, sive stabilis longa differentia temporis, in quo statu anima peccet sperandò Theologicè suam Beatitudinem; potest enim in uno instanti Deum super

super omnia diligere per charitatem, & in altero ea bona sibi desiderare; tale namque desiderium multum provocat animas ad fervorem, aliarumque virtutum exercitium; sic David in statu perfectionis constitutus Psalm. 118. aiebat: *inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in eternum propter retributionem*: sic Paulus hortatur omnes fideles ad exercendas virtutes, & vitia comprimenda ad Rom. 12. *spe gaudentes*; sic ipse Apostolus quidem perfectissimus, & in gratia confirmatus, aiebat ad Rom. 5. *gloriamur in spe gloria secundum spem vite eterne, quam promissit, qui non mentitur Deus*.

21. Unde in illis occasionebus, in quibus anima in eo statu vel tentationem pateretur contra spem, vel dum per spem vellet ad alia virtutum opera erigere animum, non exinde dici posset, non cooperari fideliter toti suae gratiae; non enim contra fidelitatem se gereret talem spei actum eliciendo; sed prudentissimè ageret; cum tunc Deus animam non obligaret ad exercendam continuò solam charitatem: talis quippe status est supra conditionem viatoris, quam in sanctissimis, & perfectissimis viris, atque in ipsis Apostolis cognoscimus. Unde Innocentius XII. die 12. Martij anno 1699. Inter 23. propositiones meritò damnavit 4. quae sic habebat: *In statu Sanctae indifferentiae anima non habet amplius desideria voluntaria, & deliberata propter suum interesse, exceptis iis occasionebus, in quibus toti suae gratiae fideliter non cooperatur; & quintam: In eodem statu Sanctae indifferentiae nihil nobis, omnia Deo volumus, nihil volumus, ut simus perfecti, & Beati propter interesse proprium; sed omnem perfectionem, ac Beatitudinem volumus, in quantum Deo placet efficere, ut velimus res istas impressione suae gratiae &c.*

22. Quapropter propositiones illae damnatae vim tollunt motivi, seu incentivi ad inflammandum Dei amorem efficacissimum, & excludunt è numero perfectorum Moysen, Davidem, & Paulum, qui remunerationis, retributionis, & coronae intuitu egerunt, & sese ad currendum in stadio ad amandum Deum cohortati sunt, ut constat ex Psalm. 118. ex cap. 11. ad Hebraeos, & ex 6. ad Timotheum: quod de Moysè, & Davide asserit quoque Tridentinum sess. 6. cap. 11. Nullus enim est viatoris status, in quo non sit homo gravibus tentationibus substitutus, atque illis etiam, quae contra spem pugnant; ut enim habet Job. cap. 1. *Militia est vita hominis super terram*: sic etiam dicitur Proverbiorum 24. *Septies enim in die cadet iustus*: quomodo ergo in eo casu eas tentationes vincens, atque ad spem actus se praeparans, easque ferventer eliciens diceretur anima non cooperari fideliter toti suae gratiae? certè valde diversa est doctrina Sacrae Scripturae, propheta si quidem, qui animi perturbationem maximam patiebatur, dum dicebatur illi per singulos Dies: *ubi est Deus tuus*, hac respon-

sione tanquam fidelis servus se erigebat Psalm. 37. *Quare irristis es anima mea, & quare conturbas me? spera in Deo, quoniam adest confortabor illi*.

Unde istae propositiones damnatae valde affines esse videntur illi propositioni Molinoli, quam damnavit Innocentius XI. & sic habebat in occasione tentationum furiosarum non debet anima elicere actus explicitos virtutum oppositarum, sed debet in supra dicto amore, & resignatione permanere. Quare ille, qui in illis occasionebus nollit ad explicitos actus virtutum oppositarum recurrere, in magno periculo eliser, ut vinceretur, & ut humana fragilitas, facillè laberetur. Quomodo ergo posset à peccato excusari? quando quidem, ut Scriptura docet: *qui amat periculum, peribit in illo*; unde valdè ludabiliter se exerceret ad vincendas, & superandas illas tentationes eliciendo tunc actum spei, quo aeternam Beatitudinem ut sibi bonam speraret, qua spe inflammatus animus tentationes vinceret, sic quae posset dicere cum Apostolo ad Rom. 8. *spe salvi facti sumus*.

Fit 6. Objectum formale fiduciae, quae talis, licet in spe Theologica requiratur fides de divinis promissionibus, sive de Deo ut promittente, quod per ipsum non stabit, quo minus habeamus auxilia, ut possimus Beatitudinem obtinere, non coartari ad hoc solum motivum, sed posse etiam aliis divinis perfectionibus simul niti, nempe misericordiae, liberalitati, benignitati, aliisque similibus. Ratio est, quia haec omnia conducunt ad eliciendam fiduciam; cumque fiducia ex suis intrinsicis non exigat illas attingere ut objectum formale quod, sive ut alii vocant, intrinsecè, nullum est inconveniens, quòd perfectionibus necessariò requisitis aliae quoque à nobis assignatae superaddantur. Dixi, sapè fiduciam non attingere ex necessitate objectum suum motivum, tanquam objectum formale quod, sive ut alij vocant intrinsecè; quod notandum esse censui, ne aliqui equivocationem patiantur. Non enim vocatur ab aliis objectum formale quo extrinsecè attractum, & objectum formale quod attractum intrinsecè, ita ut intendatur actum specificari intrinsecè ab objecto formali quod, & specificari extrinsecè ab objecto formali quo; solum enim intendunt per eas voces explicare, quod Antiqui Theologi explicant per objectum formale quod, & quo; si enim intenderent, quòd actus specificatur intrinsecè ab objecto formali quod, falsissimè assererent; quandoquidem actus solum specificatur intrinsecè à suis pradicatis formalibus, sive à sua tendentia in objectum, quae identificatur cum ipso actu; siquidem actus per se ipsum est tendentia in objectum, & non per objectum; hac autem explicatione praemissa, ne de voce quaestionum imisceamus; parum curandum est, quòd motivum formale quod vocetur objectum formale quod, vel appelletur motivum intrinsecum.

## SECTIO II.

## Solvuntur Opposita.

25. **O**bjicies 1. contra 1. assertionem: desperatio opponitur spei: atqui desperatio stat in solo actu intellectus, quo quis judicat, non consecuturum esse Beatitudinem: ergo spes stat in solo actu intellectus, quo quis judicat, se consecuturum esse Beatitudinem. Confirm. ex Clemente Alexandrino lib. 2. Stromatum, ubi dicit, *spem esse expectationem*, & postea subdit, *expectationem esse opinionem*: & ex Augustino in Enchyridio cap. 8. dicente: *cum ergo bona futura esse creduntur, nihil aliud, quam sperantur*, & Epist. 112. de Deo videndo cap. 13. ait. *Eidem sperare*, & ex aliis Patribus dicentibus, *spem esse certam*: atqui hæc munia solum conveniunt actui intellectus, & non voluntatis: ergo spes Theologica stat in solo actu intellectus, & non in actu voluntatis.

26. Resp. conc. maj. & neg. mi. quia desperare non est præcisè velle non esse objectum: sæpè enim volumus, quòd objectum non sit, quin tunc desperemus, eò quòd objectum illud non desideramus diffidenter; quare desperare nihil aliud est formaliter loquendò, quàm habere desiderium diffidentiale de objecto; unde è converso ad sperandum requiritur, quòd habeatur desiderium fiduciale: quare ex hoc argumento potius roboratur nostra sententia. Ad Confirm. conc. maj. & dist. mi. hæc munia solum conveniunt actui intellectus, si dicantur de spe formaliter conc. si dicantur præsuppositivè, & radicaliter, ut reverà dicuntur, & constat ex num. 3. neg. mi. & conseq. Explico solutionem: actus spei Theologicæ radicatur in fide de divinis promissionibus, ut eo num. 3. diximus, cùmque id, quod convenit radici, attribui quoque solet rei radicatæ; sicut quod convenit causæ, attribui solet effectui, & è converso; exinde certitudo, firmitas, & alia hujusmodi dici solent de spe non quidem formaliter, sed radicaliter; qui loquendi modus frequens est in Scriptura, & Patribus. Sic Paulus 1. Corinthiorum 13. dixit: *Charitas omnia credit, omnia sperat*, & ad Rom. 8. *Spiritus Sanctus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*; id est, facit nos postulare, ut exponunt Augustinus Epist. 101. de adorando Deum, Gregorius lib. 3. Moralium cap. 22. & Ambrosius Epist. 23. Quòd autem Clemens Alexandrinus dixerit, *spem, sive expectationem esse opinionem*, ideo dixit, quia considerabat spem Theologicam, quæ, quantumvis radicaliter habeat certitudinem ratione fidei, in qua radicatur, non habet certitudinem illam respectu objecti sperati, quod proponi potest solum probabiliter consequibile, ut diximus num. 12. Ex quibus malè inferitur, actum spei Theologi-

R.P. Gorman. Theolog. Tom. I.

cæ formaliter sumptum pertinere ad intellectum, & non potius ad voluntatem.

Objicies 2. ex Arriaga: spes actualis intrinsecè constituitur ex desiderio boni absentis, & judicio saltem probabili de futuritione ejusdem boni: siquidem eo judicio deficiente deficit spes actualis: ergo spes non stat in solo actu voluntatis, sed simul etiam in actu intellectus. Confirm. Non minus requiritur judicium de futuritione ad concipiendam spem, quàm requiratur præcognitio mediorum ad providentiam: sed providentia constituitur intrinsecè, & essentialiter per talem cognitionem: ergo etiam spes constituitur intrinsecè, & essentialiter per tale judicium. Resp. neg. ant. quia licet illud judicium præcedat spem, ut proponatur objectum movens voluntatem ad desiderium fiduciale, in quo consistit essentialiter spes: at cùm non sit constitutum talis desiderij fiducialis, nequit esse constitutum spei, ut latè constat à num. 8. Unde licet deficiente illo judicio deficiat actus spei arguitivè, non exinde deficeret formaliter, quandoquidem si per impossibile deficiente illo judicio maneret desiderium fiduciale, maneret eo ipso tota essentia spei; ad eum modum, quo si per impossibile deficiente Deo maneret Petrus, maneret eo ipso tota essentia hominis: Ad Confirm. dist. maj. non minus, & eodem modo, nego, & diverso modo, conc. maj. & concessa mi. neg. conseq. Ratio est, quia providentia, ut diximus à num. 852. de Deo, & constat ex Scriptura, & Patribus, est intrinsecè infallibilis, ac proinde intrinsecè dicit cognitionem: providere quidem est à longe videre, quod formaliter fit per actus intellectus: spes autem non est intrinsecè infallibilis, sed radicaliter, ut diximus cum D. Thoma num. 3. Neque sperare est videre, sed fiducialiter desiderare, quod non stat formaliter in actu intellectus, sed in actu voluntatis.

Objicies 3. contra 2. Assertionem ex Esparza: sperare ut sic est indifferens ad expectationem cum fiducia, vel sine illa: ergo non bene explicatur spes per desiderium fiduciale. Probat. ant. Plura sperant homines ab aliis hominibus cum diffidentia, plura etiam cum fiducia malè fundata in actu vitioso: ergo sperare ut sic est indifferens ad expectationem cum fiducia, vel sine illa. Confirm. Non minus introducit spes ad charitatem, quàm introducat fides ad spem: sed quia fides introducit ad spem definitur *sperandarum substantia rerum*; ut constat ex Apostolo ad Hebræos 11. ergo quia spes introducit ad charitatem, definienda est *substantia divinæ dilectionis, sive divinæ dilectionis fundamentum*. Resp. neg. ant. ad probat. dist. ant. sperat cum diffidentia concepta ex motivo spei, nego, concepta ex alio motivo, transeat, ant., & nego conseq. Ratio est, quia licet expectemus aliquando aliquid ab hominibus, & ex aliqua parte

Dd d d d

motivum,

motivum, propter quod erigimur, & movemur ad expectandum, aliter nullatenus expectaremus: ex hoc igitur motivo fidimus consequi id, quod expectamus, & sic concipimus spem: unde ex motivo, quo concipimus spem, non habemus diffidentiam, sed potius fiduciam consequendi rem speratam.

29. Ad 2. Confirm. neg. maj. quia si non præcedat fides, quæ, ut docet Tridentinum, fundamentum est, & radix omnis justificationis, non potest elici charitas, quæ est ultima dispositio ad justificationem; neque potest concipi spes, quæ ex Apostolo habet tanquam necessarium suum fundamentum ipsam fidem: at concepta fide potest aliquis immediate prorumpere in actum charitatis, quamvis spem tunc non eliciat: unde non eodem modo se habent; quin potius, licet quantum ad hoc eodem modo se haberent, argumentum adhuc nihil convinceret; quandoquidem Apostolus per ea verba non desinit fidem, sed ostendit fidem esse fundamentum spei; quare si eodem modo se haberent, solum posset inferri, quod spes esset fundamentum charitatis; definitio quippe fidei est assensus præstitus objecto per simplicem adhesionem ad Verbum Dei, quæ tale, ut late diximus agendò de fide; ac proinde ad explicandam spem alium conceptum inquirere debuisset Adversarius, nec assignare facile posset alterum, nisi quem nos assignavimus.

30. Obijcies 4. contra 3. Assert. si objectum spei Theologicæ esset arduum, idè esset, quia ad illius consecutionem indigeremus auxiliò alienò, qui quidem conceptus inseparabilis est ab arduitate; sed hoc non requiritur ad objectum spei: ergo non requiritur, quòd objectum ejus sit arduum. Probat mi. ex D. Thoma in quæst. disputatis quæst. unica de spe art. 1. ubi hæc habet: *sic igitur quoque sperat aliquis aliquid adipisci per propriam potestatem, quandoque verò per auxilium alienum, & 1. 2. quæst. 42. art. 3. ad 3. spes est de bono, quod quis potest adipisci: potest autem aliquis adipisci bonum vel per se, vel per alium, & ideo spes potest esse de actu virtutis, qui est in potestate nostra constitutus: ergo &c.* Resp. conc. maj. & neg. mi. ad probationem conc. ant. & nego consequ. quia D. Thomas in illis testimoniis solum agit de objecto, quod possumus adipisci vel per actiones nostras personales, vel per actiones alterius pro nobis agentis: sæpè enim contingit, quòd aliquis sperat consequi dignitatem, eò quòd alter locò ipsius eam procuret, & in hoc distinguit agere per propriam potestatem, vel per auxilium alienum, sive agere per se, vel per alium; at quocumque modo fiat, res sperata obtineri non potest absque auxilio, & ope alterius, quod satis est ad objecti arduitatem.

31. Quando enim cognoscimus, posse nos aliquid obrinere aliis renuentibus, solis viribus, & ope nostra, tunc non exercemus actum spei, sed magnanimitatis, ut docet ipse D. Thomas cit.

num. 11. quin potius in istis testimoniis non agit Angelicus de spe Theologica; certum namque est, non posse nos Beatitudinem, quam per spem Theologicam desideramus, obtinere sine supernaturali auxilio Dei, & quin personaliter cum illo cooperemur: unde hæc testimonia nequaquam militant contra nostram conclusionem; idcirco D. Thomas 1. 2. quæst. 40. art. 1. in Corpore loquendò de objecto spei ait: *tertio requiritur, quòd sit aliquid arduum cum difficultate adipiscibile: non enim aliquis dicitur aliquid sperare minimum, quòd scilicet est in sua potestate, ut habeat, & per hoc differt spes a desiderio, vel cupiditate, quæ est de bono futuro absolute; unde pertinet ad concupiscibilem; spes autem, ad irascibilem.*

Obijcies 5. contra 4. Assert. objectum spei immediatum spei est bonum futurum: atqui Deus non est bonum futurum, sed præsens; ergo Deus, seu Beatitudo nostra objectiva non est objectum immediatum spei, proindeque neque primum: unde sola possessio Dei, quæ est bonum futurum, erit objectum immediatum, & primum spei Theologicæ. Confirm. 1. quòd est objectum spei in via, est objectum gaudij in Patria: atqui in Patria objectum gaudij concupiscentiæ non est Deus, sed visio intuitiva ipsius; ille enim, qui videt Deum, de eodè objecto gaudet gaudiò concupiscentiæ, de quo tristatur tristitià concupiscentiæ, qui Deum non videt, & ardentissimè videre desiderat, ut patet in animabus purgantibus: hujusmodi autem tristitia non est de Deo, sed de carentia visionis Dei: ergo &c. Confirm. 2. Res suppositò à nobis distinctæ non sunt nobis immediate bonæ, vel malæ, sed media conjunctione, qua conjunguntur nobiscum, vel media carentia talis conjunctionis: sic calor frigiditatis non est bonus ratione sui, sed conjunctionis cum illo, cum solum sit illi bonus, ut expellat ab eo frigus, & frigus non expellat ratione sui, sed media conjunctione cum subiecto: ergo neque de ipsis rebus immediate gaudemus, aut tristamur; sed tantum de conjunctione, aut possessione illarum, vel de carentia talis possessionis, & conjunctionis.

Resp. dist. maj. Est objectum futurum à nobis possibile obtineri, conc. futurum in se ipso neg. maj. & dist. pariter mi. neg. consequ. quia non solum Beatitudo desideratur fiducialiter à nobis obtineri, sed magis, & principaliter quidem ipse Deus; cum non Beatitudo, sed ipse Deus sit noster ultimus finis, quem obtinere desideramus. Ad 1. Confirm. dist. maj. Quòd est objectum spei in via solum per modum finis quo nego; sive per modum finis quo, sive per modum finis qui, aut per modum finis cuius constituti ex fine qui, & quo, ut diximus num. 19. conc. maj. & dist. pariter mi. neg. consequ. Ratio est, quia id, de quo principaliter gaudemus in Patria, non est sola possessio Dei, sed Deus possessus; unde qui tristantur de amissione Beatitudinis tristantur, de Deo

de Deo non possessio; ita ut Deus sit objectum illius tristitiæ per modum finis *qui*, & possessio per modum finis *quo*: ad eum modum, quo, quando tristamur de Christo flagellato, non solum tristamur immediatè de flagellatione, sed etiam de ipso Christo, prout in illo concreto Christus flagellatus, Christus est malè tractatus; unde respectu illius tristitiæ Christus se habet per modum finis *qui*, & flagellatio per modum finis *quo*, & ex utroque conflatur concretum, quod est finis *cujus*, id est, *cujus* gratia tristamur; siquidem concretum illud: Christus flagellatus, est id, *cujus* gratia tristamur: id ipsum contingit in actu spei, cum per ipsum desideremus Deum, ut bonum nobis per visionem, ut diximus num. 1.

34. Nihil enim est ex terminis magis norum, quam quòd amor concupiscentiæ non respiciat bonum utrumque, sed ut bonum desideranti: tendit enim ad bonum, ejusque possessionem; ideoque spes respicit concretum ex fine *qui*, & *quo* constitutum, *cujus* gratia sperans apponit media ad illius concreti consecutionem; quod perinde est, ac respicere concretum illud, ut finem *cujus*. Quapropter sicut fides non respicit solum primam veritatem, sed etiam locutionem externam, cum qua constituit hoc concretum: prima veritas dicens; ita ut concretum istud sit objectum Formale quod fidei diviniæ ex dictis à num. 249. de fide; sic etiam spes non respicit solum Beatitudinem objectivam, sed etiam Beatitudinè formalem, cum qua constituit hoc concretum: Deus possidendus; sicut enim concretum illud: divina veritas dicens, includit constitutivè dictionem, sive revelationem; ita etiam concretum istud: Deus possidendus, includit constitutivè Beatitudinem formalem, quæ est Dei possessio; idcirco Exim. Doct. citatus num. 273. de fide docet, revelationem esse unionem, seu applicationem primæ veritatis ad rem testificatam, & revelatam; ad eum modum, quo Beatitudo formalis est unio, & possessio objectivæ Beatitudinis, seu Dei possidendi; unde sicut actus diviniæ fidei non tendit ad primam veritatem seorsim à revelatione, sed ad complexum ex prima veritate, & revelatione, quod credit propter ipsum, & quod est ratio credendi reliqua; ita actus spei Theologicæ non tendit ad Deum seorsim à possessione, neque ad possessionem seorsim à Deo, sed ad complexum ex utroque, quod desiderat propter ipsum, & quod est ratio desiderandi reliqua. Quare Authores illi, qui agendò de fide eam doctrinam diversis vocibus explicare contendunt, in illam recidunt, quam docebat Exim. Doct., ut ibi diximus num. 274. ex quibus assertiones istæ non parum roborantur, & elucidantur. Unde.

35. Ad 2. Confirm. dist. ant. Res supposito à nobis distinctæ non sunt nobis immediatè bonæ, vel malæ tanquam finis *quo*, conc. tanquam finis *qui*, vel finis *cujus* constitutus ex

fine *qui*, & *quo*, neg. ant. & conseq. Ratio est, quia quando desideramus, & speramus Deum ut bonum nobis, non solum speramus possessionem; sed etiam Deum, qui per sui possessionem nos beet. Quare neque Deum seorsim à possessione, neque possessionem seorsim à Deo, sed complexum ex utroque speramus, & ad illud obtinendum exercemus virtutes, & apponimus media destinata à Deo ad illius consecutionem. Unde illud complexum est finis *cujus*, id est, *cujus* gratia reliqua fiunt, ut diximus à num. 33. Quin potius complexum illud constitutum ex Deo tanquam ex fine *qui*, & ex Beatitudine formali, seu ex Dei possessione tanquam ex fine *quo* includit Deum ut præcipuum ejus constitutum; siquidem Deus licet sit homini bonus per visionem, non tamen propter visionem; seu ratione visionis, sed è converso visio est homini bona propter Deum, & ratione Dei; Deus autem ratione sui, ut ex ipsis terminis constat; idcirco dici nullo modo potest, quòd per spem Theologicam desideremus nobis solam visionem, & non desideremus nobis ipsum Deum; unde D. Thomas 2.2. quæst. 17. art. 5. in Corpore ait: *spei, in quantum est virtus, principale ejus objectum est Deus.*

36. Objicies 6. contra 5. assert. & illationes ex Ariaga: Deus ut auxiliator est causa efficiens immediata auxiliorum, quibus possumus consequi Beatitudinem ad eum modum, quo Medicus, & medicinæ sunt causa efficiens sanitatis: atqui Medicus, & medicinæ non sunt objectum formale, sed tantum materiale actus, quo spero sanitatem: ergo Deus ut auxiliator non est objectum formale, sed tantum materiale actus, quo spero Beatitudinè, proindeque objectum formale spei Theologicæ solum correspondet formalitati desiderij, non autem formalitati fiducia. Confirm. 1. ex Oviedo: sicuti objectum materiale est res sperata; ita objectum formale est ratio formalis, propter quam res illa speratur, & amatur nobis: atqui speratur, & amatur, quia habet bonitatem nobis congruentem, & quia bonum est nobis illam habere; non verò quia illam habituri sumus ab omnipotentia, & auxilio Dei: ergo &c. Confirm. 2. Si Deus ut auxiliator esset objectum formale spei Theologicæ, etiam esset objectum formale nostræ cooperatio, cum sine illa non possumus obtinere Beatitudinem: atqui cooperatio nostræ non est objectum formale spei Theologicæ: ergo neque Deus ut auxiliator.

37. Resp. conc. maj. dist. min. Non sunt objectum formale actus secundum formalitè desiderij, conc. secundum formalitè fiducia, neg. mi. & conseq. Ratio est, quia ut lumine naturæ constat, atque ipsa experientià demonstratur, quando aliquis ægrotus anxie quærit peritissimum Medicum ad obtinendam salutem, & illo comparato concipit spem salutis, quam antea concipere non poterat, motivum illius

spei secundum formalitatem fiducia non est bonitas salutis, sed Medicus peritus ut aegroti auxilians; sic etiam quando aliquis habet Patronos magnos ad obtinendam dignitatem, quam sperat, & sine illis non sperat, motivum illius spei secundum formalitatem fiducia non est bonitas dignitatis, sed potius illi Patroni, ut auxiliares; pariter quando quis ad evitandum naufragium quaerit navem firmissimam, & temporis tranquillitatem, ut mari se committat, spes evadendi naufragium secundum formalitatem fiducia non habet pro motivo bonitatem repertam in evadendo naufragio, sed firmitatem navis, & temporis tranquillitatem; quare idem à fortiori dicendum in nostro casu. Exinde

38. Ad 1. Confirm. conc. maj. & neg. mi. quia objectum formale, ex quo concipimus spem, non solum est bonitas rei speratae, cum haec solum pertineat ad formalitatem desiderij; sed est motivum illud, ex quo concipimus fiduciam obtinendi rem, si per nos non steterit; cumque in casu nostro motivum illud sit Deus, ut auxiliator, exinde Deus ut auxiliator est objectum formale spei secundum formalitatem fiducia; itaque Oviedus eadem, qua alij aequivocatione laborat in praesenti confundens spem cum desiderio, & non distinguens in actu spei formalitatem fiducia à formalitate desiderij; in praebulo quidem ad assertionem suam derogit Adversarius grandem istam aequivocationem Controversia 2. Puncto 3. art. 24. ubi haec habet: *inquiritur, quae sit ratio formalis appetendi, seu sperandi objectum speratum, quod nobis concupiscimus & speramus*; quibus in verbis, atque in toto illo contextu, ut legenti constabit, secundum omnes formalitates identificat sperare cum concupiscere, sive spem cum desiderio. Ad 2. Confirm. neg. maj. quia illud solum dicitur à Philosophis, & Theologis objectum formale fiducia, ex quo concipimus fiduciam obtinendi rem, si per nos non steterit: unde cooperatio nostra requisita, ut per nos non steret, quod rem illam obtineamus, subsequitur cognitionem representantem motivum fiducia, proindeque dici non potest cooperatio nostra motivum formale fiducia: aliter dicenda esset motivum formale omnium virtutum, quod neque ipsi Adversarij concedunt; neque est conforme sensui Philosophorum, & Theologorum, à quibus in terminorum explicatione discedere non licet.

39. Obijcies 7. ex Turriano: si Beatitudo ut nobis bona, esset objectum formale spei nostrae Theologicae, nihil possemus sperare, nisi propter Beatitudinem; sed hoc falsum est, quandoquidem Omnipotentia, Misericordia, Liberalitas, Promissio & Fidelitas divina sufficientes sunt ad actum spei Theologicae, neque admitti possunt quatuor virtutes Theologicae in via: ergo objectum formale spei Theologicae non est bonitas Beatitudinis, proindeque solum est assignandum spei Theologicae objectum forma-

le correspondens formalitati fiducia, non autem formalitati desiderij. Confirm. 1. ex Meratio: spes non resolvitur in Beatitudinem, cum Beatitudo sit indifferens, ut eam speremus, vel desperemus: atqui objectum formale spei est illud, in quod resolvitur spes: ergo &c. Confirm. 2. ex aliis: licet ego honeste desiderem habere cognitionem de peccato commisso, quia commissum est, non potest peccatum commissum exinde dici objectum formale quod illud desiderij: ergo licet ego desiderem possidere Deum, quia Deus mihi bonus est, non potest exinde bonitas Dei dici objectum formale quod illius desiderij. Confirm. 3. Dari potest actus spei praescindens à proprio sperantis interesse, modo, quo speraret ille, qui vellet Beatitudinem sibi bonam, non quia sibi bonam, sed quia Deus vult, ut eam sibi velit: sed exinde dici non potest, quod actus spei Theologicae resolvatur in Beatitudinem: ergo &c.

Resp. dist. maj. Nihil possemus sperare nisi si propter Beatitudinem spe Theologica, conc. spe morali; neg. maj. & dist. pariter min. neg. conseq. Ratio est, quia licet possumus, quin speremus Beatitudinem, alia bona sperare per spem moralem, de qua meminimus à num. 68. & 86. de fide: non autem possumus per spem Theologicam bona aliqua sperare, quin simul speremus nobis Beatitudinem, ut in locis citatis diximus cum D. Thoma, & Exim. Doctore, quorum ratio est, quia spes Theologica, qua Theologica indispensabiliter habet aliquid divinum tanquam objectum formale quod, ut constat à num. 53. de fide, cumque illud indispensabiliter homo habeat secundum formalitatem fiducia, ut constat à num. 18. superest, ut illud indispensabiliter respiciat secundum formalitatem desiderij; quin potius Theologica spes viae, & fructio Patriae, ut bene notavit Ripalda in eo conveniunt, quod sicut fructio Patriae ex motivo charitatis omnia refert ad Beatitudinem ut Deo placentem, in quo ultimo sistit, ut diximus etiam num. 5. & in tract. de Beatitudine num. 261. ita spes Theologica viae omnia refert ad Beatitudinem, ut nobis bonam, proindeque non potest desiderare objectum ullum, nisi cum respectu ad Beatitudinem. Exinde ad 1. Confirm. neg. maj. quia licet Beatitudo sit indifferens indifferenti composibili cum actu spei, vel cum ejus carentia, non est indifferens, ut componatur cum actu spei Theologicae, quin iste attingat Beatitudinem: sic prima veritas dicens est indifferens, ut componatur cum eo actu fidei Theologicae, vel cum illius carentia; at non est indifferens, ut componatur cum eo actu fidei Theologicae, quin iste attingat primam veritatem dicentem; unde sicut actus fidei Theologicae non potest non resolvi in primam veritatem dicentem; ita actus spei Theologicae non potest non resolvi in Beatitudinem.

Ad 2. Confirm. dist. ant. Non potest peccatum

carum exinde dici objectum formale quod per modum recessus respiciendò honestatem talis cognitionis per modum assensus, nego; non potest peccatum dici objectum formale quod per modum accessus, conc. ant. & conseq. Quia quando honestè desidero cognoscere peccatum, quia commissum est, licet desiderem honestatem cognitionis ut objectum formale quod, non exinde desidero peccatum, sed potius fugio; aliter non esset desiderium honestum, contra id, quod argumentum supponit; at quando desidero Beatitudinem, quia mihi bonam, desidero illam propter honestatem, quam habet mihi bonam, quod formaliter est illam amare propter suam bonitatem moventem ad amorem, illamque respicere ut objectum formale quod ex dictis à num. 53. de fide. Ad 3. Confirm. neg. maj. & suppositum ibi immixtum, nempe quòd desiderium de Beatitudine non quidem ut mihi bonam, sed ut Deo placentem, sit actus spei Theologicae; actus namque spei Theologicae, quia talis non desiderat bonitatem ut alteri, sed ut speranti bonum, ut constat à num. 15. & August. cit. num. 1. ubi ait: *spes autem non nisi bonarum rerum est, nec nisi futurarum, & ad eum pertinentium, qui eorum spem gerere perhibetur; ideoque spes à proprio sperantis interesse nunquam præscin-*

dit; quare Tridentinum cit. num. 6. docet, bene operantibus usque ad finem, adeoque perfectis proponendam esse vitam æternam tanquam mercedem; ex quo patet, nullum esse viatoris statum excludentem spem, & proprium sperantis interesse; idcirco si desiderem Beatitudinem non quidem, ut mihi bonam, sed ut Deo placentem, tale desiderium non pertinet ad spem, sed ad charitatem; sicut enim velle aliquid bonum, quia Petro bonum, vel quia Petro placens, est Petrum actu charitatis diligere; ita velle aliquid bonum, quia Deo bonum, sive quia Deo placens, est Deum actu charitatis amare; etenim velle aliquid bonum non quia mihi, sed quia Petro placet, est moveri ex Petri bonitate, non quia mihi, sed quia Petro bona; quæ est formalis tendentia charitatis; unde velle aliquid bonum non quia mihi, sed quia Deo bonum, est moveri ex Dei bonitate non quia mihi, sed quia Deo bona, ac proinde ex formali tendentia charitatis. Quapropter si motivum illud placendi Deo non coarctetur ad aliquam lineam, sed concurrat ut universale, non solum erit charitas imperfecta, sed perfecta, nempe amor Dei super omnia, ut latè dixi à num. 72. & 290. de virtute Pœnitentiæ.

## DISPUTATIO II.

## RELIQUA DE SPE THEOLOGICA.

42. **D**ari præceptum divinum obligans nos ad eliciendum aliquando actum spei Theologicae, non solum per accidens ex fine aliarum virtutum, ad quas homo tenetur, ideoque si aliquando iudicet, actum spei esse medium necessarium ad aliarum virtutum adimplerionem, ex fine aliarum virtutum tenebitur ad eliciendum actum spei; quæ obligatio dicitur pertinere per accidens ad spem; verum etiam obligamur per se ad eliciendum aliquando actum spei ex vi præcepti divini ad hanc virtutem pertinentis, ut constat ex Alexandro VII. cit. num. 6. Ratio est, quia omnis actus necessarius ad salutem cadit sub præceptum: at qui actus spei est medium necessarium ad salutem; illud enim est medium necessarium, sine quo homo non est homo rectè dispositus ad bene operandum, & vitandum peccata: quod moraliter præstari rectè non potest, nisi ab homine bene sperante: unde August. tract. 83. ait, *præceptum esse nobis sperare multa, scilicet que promissa sunt; atque in hoc sensu D. Thomas 2. 2. quæst. 22. art. 1. intelligit illa Scripturæ testimonia, in quibus continentur præcepta de tribus virtutibus Theologicis: sic Ecclesiastici 2. Qui timetis Dominum, credite illi, & non evacuabitur merces vestra: qui timetis Dominum, sperate in illum, & in oblectationem veniet vobis misericordia; qui timetis Do-*

*minum, diligite illum, & illuminabuntur corda vestra; similia habentur Psalm. 4. & 51. ad Hebræos 6. 8. 10. & 13. Unde omnes actus, qui sunt contrarij spei, sunt intrinsicè mali malitiâ contrarij spei, ideoque prohibiti præcepto spei; idcirco præceptum spei quatenus est negativum, sive prohibens actus contrarios obligat semper, & pro semper; at quatenus est affirmativum, sive ut præcipiens, quòd eliciamus actum spei, non obligat semper, & pro semper, sed aliquando; ita ut non possit dici, hominem diu differre exercitium spei; aliter non maneret ille homo rectè dispositus ad bene operandum; cum autem ille, qui ultra annum exercere differret, spem, rectè dici posset dici differre; exinde censeo præceptum affirmativum spei per se obligare saltem semel in anno: verum de his latius infra, cum de præcepto charitatis sermo erit.*

## SECTIO I.

*De cognitione prærequisita ad dividendam spem Theologicam.*

Suppono 1. contra Lutherum, non prære- 43.  
squiri ad spem Theologicam iudicium,  
quo absolutè, & sine ulla conditione dicam:  
D d d d 3  
ego

ego salvabor: ratio est, quia plures verè sperabunt, qui tale firmum iudicium non habuerunt, ut constat ex num. 12. Rursus Jacobus in Epist. sua C. 2. cap. 2. ait: *sicut enim corpus sine spiritu mortuum est; ita & fides sine operibus mortua est*; Christus enim in die iudicij, ut habetur Matth. 16. *reddet unicuique secundum opera ejus*: unde non potest haberi certitudo iudicij de obtinenda justificatione, & Beatitudine absque certitudine de bonis operibus eliciendis; cumque non possumus certò asserere nos bona opera finalia elicitorios, si de hoc specialem Dei revelationem non habeamus, ut docet Tridentinum cit. num. 3. exinde non possumus habere tale iudicium, quale Lutherus requirit ad elicendam spem Theologicam; quin potius, cum iudicium, in quo spes Theologica fundatur, debeat esse ex fide, ex Paulo ad Hebræos 11. at actus fidei elici non possit absque prævia Dei revelatione, cui immediatè innitatur, perperam prærequiritur ejusmodi iudicium ad elicendum actum spei Theologicæ.

44. Suppono 2. Spem Theologicam utpote in radice sua firmissimam prærequirere pro suo fundamento actum divinæ fidei de eo, quòd non deficiat ex parte Dei, quòd minùs possumus Beatitudinem obtinere, quòd per se asserit promissionem divinam ex dictis num. 16. unde si aliquis à Deo speret id, circa quòd non datur promissio de eo, quòd ex parte Dei non deficit, non sperabit per spem Theologicam, sed per spem moralem, quæ fundatur in prudenti probabilitate, ex signis saltem, & conjecturis: sicut pauper sperat eleëmofynam à divite, licèt iste eleëmofynam non promiserit, vel ad summum potest sperare per desiderium, quòd sit quasi effectus quidam mediatè à spe Theologica procedens; sicut assensus aliquis probabilis nunquam est actus fidei, licèt aliquo modo esse possit effectus illius mediatè mediante aliqua applicatione in signis, & conjecturis fundata: eo enim præcisè, quòd ego non habeam promissionem divinam de eo, quòd si per me non steterit, crastina die vivam, non possum per spem Theologicam sperare me crastina die vitam habiturum; quare Susanna cap. 13. Danielis, dum sperabat à Deo innocentia suæ manifestationem: *erat enim cor ejus fiduciam habens in Domino*, & post innocentia ipsius manifestationem: *exclamavit itaque omnis cætus voce magna, & benedixerunt Deum, qui salvat sperantes in se*; si enim tunc Susanna habebat promissionem divinam de innocentia suæ manifestatione, potuit spe Theologica sperare; si autem solum haberet signa, & conjecturas, sperare non poterat spe Theologica.

45. Superest autem alia non modica difficultas, an scilicet ille, cui facta esset, & certò notificata revelatio suæ damnationis, posset, & teneretur sperare? præscindimus modò à possibilitate, vel impossibilitate talis hypothetis; aliqui enim cum Esparza lib. 6. de virtutibus

Theologicis quaest. 31. art. 2. negant, possibilem esse talem revelationem; quia homo, cui certò notificaretur talis revelatio, non maneret viator, sed esset jam inchoative in statu damnationis; addit Maurus ex alio titulo etiam repugnare, quia scilicet assensus fidei innoxius illi divinæ revelationi non esset meritorius adhuc de congruo, ac proinde nec dignus revelatione superna; cum assensus adhibitus tali revelationi esset essentialiter impræmiabilis; siquidem actus fidei est essentialiter verus; ac cum asserat perpetuam exclusionem Beatitudinis, esset essentialiter impræmiabilis per Beatitudinem: sed actus divinæ fidei est saltem meritorius de congruo Beatitudinis: ergo talis revelatio divina repugnat.

Alij autem cum Coninch, docent talem revelationem fieri non posse homini existenti in gratia; quia esset contra naturam amicitia inter Deum, & justum, posse tamen fieri homini existenti in peccato; cum iste dignus sit, cui intimeretur penitentia, quam secundum præsentem statum, quem habet, meretur; unde illa revelatio, licèt non esset supernaturalis Theologicæ, utpote non sufficiens ad actum fidei capacem meriti Theologici, ut prima sententia docebat; esset tamè supernaturalis philosophicè juxta ea, quæ diximus à num. 383. & 428. de virtute penitentia; unde actus ille fidei esset fides divina philosophicè superna; non verò fides divina superna Theologicè; quòd reduci videur sententia D. Thomæ, & Exim. Doct. docentium talem revelationem repugnare, quidem de potentia ordinaria; non verò de potentia extraordinaria; etenim de potentia ordinaria omnes divinæ revelationes sunt supernaturales Theologicæ; homo autem in eo casu neque inchoative damnatus dici posset, cum adhuc esset capax operandi rectè supernaturaliter; & merendi gloriam, quam per sua subsequenta peccata finaliter demeretur; cæterum in præfenti à resolutione hujus difficultatis præscindimus, solumque quærimus, an pro ea hypothese posset, & teneretur homo ille sperare?

Affero 3. cum pluribus nostris, aliisque Thomistis, quos novissimè sequitur Contenton in hypothese (à cujus possibilitate modò præscindimus,) quòd nempe Deus revelet alicui viatori æternam ipsius damnationem, non bene inferitur, quòd viator ille maneret impotens ad sperandum; posset enim quandoque, immò & teneretur sperare. Probat 1. potest Deus videre, quòd Petrus per auxilia supernaturalia ipsi collata poterit ad finem vitæ sperare, & mereri gloriam, vel peccare mortaliter contra spem, & mereri infernum; insuper videre potest, quòd Petrus auxiliis illis instructus peccabit mortaliter contra spem peccatò finali impenitentia; unde ex hypothese, quòd Deus tunc revelaret Petro æternam suam damnationem ratione illius peccati finalis ab ipso absolute committendi, talis revelatio utpote consequens peccatum Petri contra spem non impedi-



libero: sicuti ut Petrus nunc libere possit non peccare, non requiritur carentia scientiæ visionis de suo peccato, si hæc sit naturâ posterior tali peccato: ergo Petrus in hypothesi, de qua agimus, agnosceret sufficientem futuritionem ad sperandum ex vi cognitionis præviæ dirigentis ad spem. Contrâ 2. Si Deus prævidens absolute, quod Petrus in hoc instanti omittet actum spei, ad quem tenetur, id Petro revelaret, ea revelatio esset naturâ posterior tali peccato, ut ex terminis patet: ergo in hypothesi, de qua loquimur, non est impossibilis, sed possibilis revelatio natura posterior peccato Petri contra spem. Ex dictis

54. Fit 1. Petrus in eo casu non solum teneri ad non desperandum, ut Adversarij fatentur, sed etiam teneri ad sperandum, quin immo ex hoc fieri potest contra Adversarios fortissimum argumentum: ratio est, quia ideo Petrus tunc teneretur non desperare, quia teneretur ad non peccandum, & desperatio esset peccatum; unde, qui certò cognosceret, se pro culpa sua non consecuturum Beatitudinem, cum posset consequi, non potest illam desperare: atqui non sperare etiam esset in eo casu peccatum: ergo teneretur Petrus in eo casu sperare, idcirco licet Adversarij assignant cognitionem præviæ ad revelationem, & ad actum fidei in revelatione fundatum, ex qua cognitione prævia Petrus est potens ad non desperandum; ita etiam assignare debent cognitionem præviæ ad illam revelationem, & actum fidei, ex qua prævia cognitione sit Petrus potens ad sperandum; & sicut sunt toto cælo diversa hæc duo, Petrus desperabit, Petrus non potest non desperare; ita sunt hæc duo toto cælo diversa, Petrus non sperabit, Petrus non potest sperare.

55. Fit 2. Habitum spei Theologicæ non solum posse elicere actum amoris de Beatitudine, sed etiam actum timoris de illius amissione; ratio est, quia non solum possumus per habitum spei amare Beatitudinem ut nobis bonam, sed etiam fugere, quicquid opponitur tali Beatitudini; cum ad eandem virtutem, ad quam attinet asserre suum bonum, pertineat quoque fugere suum oppositum malum, ut dixi num. 8. de virtute penitentiae; talis autem timor ad spem Theologicam pertinens præferret secum indispensabiliter respectum ad Beatitudinem, proindeque esset amplexivus respectu Beatitudinis, & averivus respectu gehennæ, & amissionis Dei: si autem eliceremus actum supernum timoris gehennæ, qui nullum haberet respectum ad Beatitudinem, ille timor non pertineret ad spem Theologicam, sed ad moralem, juxta ea, quæ diximus à num. 44.

56. Si verò eliciamus actum timoris circa malum, non quia nobis malum, sed quia malum Deo, vel quia Deo displicens, talis amor non diceretur amor spei, sed charitatis, & pertineret ad timorem filialem, qui tendere potest ad fugam culpæ, quia Deo malæ, sive quia boni-

rati divinx oppositæ; atque tunc ille actus esset amplexivus bonitatis divinx, & averivus peccati; sicut enim velle alicui malum, quia ipsi malum, est illum odio habere, ita fugere malum, quia illi malum, est illum formaliter amare, ut diximus num. 41. de timore filiali, fervili, initiali, & mundano, agunt omnes Scholastici cū Augustino, D. Thoma, & Magistro sententiarum in 3. distinct. 34. Videatur Ovidius Controversia 5. puncto 3. de timore verò reverentiali, quem habent Beati, agit Caspar Hurtadus disp. 2. difficultate 3. quem assignat in summa quadam veneratione, & reverentia erga Deum cum profundissima submissione, & subjectione.

Fit 3. Præsumptionem esse distinctam à desperatione, quia desperatio stat in desiderio differentiali per ordinata media, quibus objectum spei ordinatè poterat obtineri; sic plures desperant obtinere Beatitudinem per exercitia virtutum, quibus obtineri potest, & hoc est grave peccatum contra spem; licet enim præceptum spei non excludat timor in fragilitate nostra fundatum, juxta illud Pauli ad Philippenses 2. cum metu, & tremore vestram salutem operamini: at exigat fiduciale nostrum desiderium, cui directè opponitur illud desiderium differentiale. Præsumptio verò, quæ directè opponitur spei Theologicæ, non stat in desiderio differentiali, sed in desiderio fiduciali per inordinata media, & est ex genere suo grave peccatum, de quo dicitur Ecclesiastici 18. *vidi præsumptionem cordis eorum, quoniam mala est*: unde D. Thomas 2. 2. quæst. 21. art. 1. dicit, præsumptionem esse peccatum contra Spiritum Sanctum, quia ex vi illius impeditur gratia Spiritus Sancti: addit autem art. 2. præsumptionem minus peccatum esse, quam desperationem; quia hæc opponitur misericordie Dei, & illa justitiæ. Hæc verò præsumptio multiplici modo committi potest, ut advertit Exim. Doct. disp. 2. sect. 3. de spe, & Ovidius Controversia 6. puncto 3.

Et quidem primò desperatio est, si quis speret à Deo gloriam propter merita solarum naturalium virium liberi arbitrij, quæ fuit præsumptio Pelagiana; secundò si eam sperat intuitu meritorum, quorum initium est in natura, quæ fuit præsumptio Semipelagiana; tertio si eam sperat per merita ex gratia Dei danda tamen independentè à Christi meritis, quæ fuit præsumptio Judaica, quartò si quis speret gloriam sibi dandam independentè à meritis, quæ est præsumptio Lutherana. Quintò si speret auxiliùm à Deo dandum ad committenda peccata, quæ est præsumptio Calviniana. Sextò si dona supernaturalia speret inordinate supra mensuram scilicet illam, ad quam, ut recipiat superna dona, homo est elevatus, v. g. si speraret Unionem Hypostaticam, aut dignitatem æqualem Virgini Matri. Septimò si quis frequenter peccans, & in peccatis tenaciter perseverans, tam facile speraret veniam, ac si non peccasset.

peccasset plusquam venialiter, vel ex venia ipse frequenter peccaret, aut peccati commissi penitentiam usque in vitæ finem differret sumendo occasionem ex Misericordia Dei ad frequentanda peccata; cum enim isti omnes sperandi modi sint inordinati, pertinent ad præsumptionem, ideòque in significatione, de qua agimus, præsumptio dici solet spes immoderata.

59. Dixi ex industria præsumptio insignificati-  
one, de qua agimus; quia alia habet etiam significata ad rem nostram non pertinentia: aliquando enim sumitur in bonam partem pro excellenti quadam fiducia, sic Judith 6. *Non derelinquis præsumens de te*, & cap. 9. *Exaudi me miseram desperantem*, & de tua venia præsummentem; aliquando sumitur pro immoderato intellectu judicio, quo aliquis habet de se ipso opinionem, & persuasionem inordinatam de propria excellentia, quæ est quædam superbiæ species, & appellari solet præsumptio; sic dicitur sapientiæ 17. *semper enim præsumit seiva perturbata conscientia*; aliquando etiam significat conjecturas aliquas, seu probabilitatem, quæ est in aliquo facto ad ferendum judicium; quæ præsumptionis significatio est valde usitata apud juris peritos; & hoc modo distinguunt triplicem præsumptionem, vehementem, seu violentam, probabilem, & levem, sed istæ, & alia similes acceptiones non pertinent ad nostrum institutum, ut bene notavit Exim. Doct. disp. 2. de spe sect. 3. num. 1. Quantum attinet ad subjectum spei Theologicæ, discurrendum est suo modo, sicuti de subjecto fidei; cum fides sit necessarium illius fundamentum ex Paulo ad Hebræos 6.

## SECTIO II.

### Solvuntur Opposita.

60. **O**bjicies 1. contra 2. Assert. ex Gonetio: potentia ad sperandam Beatitudinem includit, vel supponit judicium de futuritione Beatitudinis: sed tale judicium non potest reperiri in illo, cui facta est revelatio suæ damnationis: ergo nec potentia ad sperandam Beatitudinem. Major inquit Gonetus conceditur ab Adversariis, & probatur; quia potentia expedita ad actum voluntatis eliciendum includit, vel supponit actum intellectus regulantem actum voluntatis: sed judicium de futuritione Beatitudinis est cognitio regulans actum spei: ergo &c. Min. prob. Facta revelatione damnationis homo est certus se non consecuturum Beatitudinem: sed cum hac certitudine non fiat judicium de illius futuritione; cum ista duo judicia sint contradictoriè opposita: ergo &c.
61. Resp. dist. maj. includit, vel supponit judicium de futuritione Beatitudinis absoluta, nego, de futuritione conditionata, quæ fieri
- R. P. Gormaz Theolog. Tom. 1.

possit absoluta, si homo velit, conc. maj. & distincta pariter mi. neg. conseq. Unde malè supponebat Gonetus maj. illam esse certam; imò probatio ab eo adducta nulla est; quia in homine, cui facta esset ea revelatio, adhuc maneret judicium de futuritione Beatitudinis non quidem absoluta, sed conditionata, quæ fieret absoluta, si homo ipse velit; ad mi. probationem distingo maj. Est certus se non consecuturum Beatitudinem, quia liberè non vult, cum possit eam pro libito suo consequi, conc. est certus se non consecuturum Beatitudinem, sive potentiam ad consequendam illam pro libito suo nego, majorem, & distincta pariter mi. neg. conseq. Itaque homo ille esset certus se non consecuturum Beatitudinem eo modo, quo à divina revelatione certificaretur, cumque à divina revelatione certificaretur, se non consecuturum Beatitudinem, quia peccabit contra spem in eo instanti, in quo poterat, & tenebatur non peccare, atque adeò tenebatur sperare; exinde haberet in eo instanti duplicem cognitionem; alteram naturâ priorum, qua cognosceret se posse obtinere Beatitudinem, si velit; alteram naturâ posteriorem, qua cognosceret, se non obtenturum Beatitudinem, quia non vult; quæ duæ cognitiones nullam profus inter se dicunt oppositionem, ut patet in iis omnibus, quæ se habent pro priori, & pro posteriori naturæ in eodem instanti.

62. Neque video, quomodo possit aliquis circa doctrinam istam dubitare non solum juxta principia nostræ Scholæ, verum etiam juxta prima omnium Scholarum rudimenta, quod sic ostendo ad hominem contra Gonetum: in sententia Gonetii, omniumque Catholicorum ad libertatem requiritur judicium indifferens ex se conjungibile cum utroque libertatis extremo, nimirum cum elicientia actus, & cum illius omissione non minus, quam requiratur ad potentiam sperandi judicium de futuritione probabili, vel de futuritione, quæ ponetur, si ego velim; nihilominus Deus videns, quod Petrus in hoc instanti pro libito suo peccabit, quamvis habeat judicium indifferens pro signo priori suæ libertatis, potest revelare Petro suum peccatum, sicut revelavit Divo Petro, quod negaturus erat ipsum Christum, tuncque Petrus simul cum illo judicio in differenti priori quidem prioritate naturæ habebit judicium certum, & posterius naturâ impossibile cum utroque extremo libertatis, quod quia naturâ posterius non repugnabit cum judicio indifferenti, & conjungibili cum utroque libertatis extremo: idcirco licet habeat judicium certum de non futuritione objecti, ex eo, quod sit consequens exercitium libertatis, sive naturâ posterius, non repugnabit, quod Petrus habeat judicium præcedens exercitium libertatis, quo judicet posse pro sua libertate objectum obtinere: hæc enim judicia, cum non affirmant idem objectum sub iisdem circumstantiis, nullam inter se dicunt oppositionem. Ex dictis

E e e e

Fit

63. **Fit 1.** Tenet hominem in casu conclusionis nostræ ad sperandam suam salutem, quamvis detur revelatio de ipsius damnatione, si ea revelatio, ut diximus, subsequatur liberum exercitium voluntatis suæ, quo voluit viam salutis amplecti; sed pro libito suo elegit potius pervenire ad finalem impænitentiam: cum enim ea impænitentia finalis, à qua pendet illa revelatio, sit homini libera, nequit impedire potentiam proximam ad sperandum: unde actualis spes salutis, quæ potuit dari in eo instanti, potuit impedire revelationem à peccato finali contra illam spem pendentem; quod sic iterum explicari potest: si Petrus in instanti A, eliciat actum spei Theologicæ, ad quem tenetur, impedit scientiam Dei de peccato contrariam spem, à qua divina scientia pendet illa revelatio: ergo impedit divinam revelationem.
64. **Fit 2.** Sub hypothese, quòd alicui fieri posset revelatio de sua æterna damnatione independentem omnino à sua libertate, non posse tunc sperare salutem, quin potius posset eam desperare. Ratio est, quia cum iudicium illud certum de non futuritione Beatitudinis sit pro priori ad ipsius exercitium, non supponit iudicium probabile de futuritione absoluta, neque de futuritione conditionata, si ipse pro libito suo velit; unde homo ille sperare non posset. Rursus in illo priori haberetur iudicium certum de non futuritione Beatitudinis, quin pro libito suo posset obtinere iudicium probabile de futuritione; ergo posset tunc desperare Beatitudinem. Videantur Caspar Hurra-

do disp. 2. difficultate 1. & Coninch. disp. 2. **Fit 3.** Spem Theologicam per exercitium suum primarium solum tendere, ut unusquisque speret suam Beatitudinem, non verò alienam. Ratio est, quia spes primario tendit ad id, de quo in Patria primario gaudebimus, & quo Beati erimus: sed non gaudebimus primario, & erimus Beati per alienam Beatitudinem, sed per propriam: ergo spes non tendit primario ad sperandam Beatitudinem alienam, sed propriam. Cæterum quia Beati ex aliorum Beatitudine habent etiam gloriam accidentalem ad eum modum, quo damnati ex aliorum damnatione habent majorem pœnam accidentalem; exinde spes juxta plures Theologos potest tendere secundario ad sperandam aliorum Beatitudinem, dum ex eo, aut simili respectu proponatur ipsi speranti bona. Ratio est, quia spes, ut constat ex Augustino cit. num. 1, & ex sæpe dictis in toto tract. est actus concupiscentiæ, ideòque non potest tendere, nisi ad objectum, quod representatur ipsi speranti bonum; ad objectum enim, quod ita representatur, potest tendere per aliquod suum exercitium; cum autem hoc spei exercitium non sit primarium, ut constat ex dictis, superest, ut sit exercitium secundarium; quapropter multipliciter potest homo peccare contra spem, nimirum vel per desperationem, vel per presumptionem, vel per quodcumque aliud vitium tendens ad impedienda principia necessaria ad spem, ad quam homo tenetur.



## TRACTATUS DE CHARITATE THEOLOGICA.

65.

**N**equè in Ethymologia, neque in significatione hujus nominis *Charitas* si accipiatur in tota sua latitudine conveniunt Theologi, ut videri potest apud Coninch in præfatione ad hunc tractatum; *Charitas* namque in tota sua latitudine accepta significat amorem, quo res amata nobis chara dicitur, sive ea licita sit, sive illicita; quo in sensu Augustinus serm. 52. de tempore cap. 2. dixit: *Charitas alia est divina, alia humana: alia est humana licita, alia illicita.* Si autem minus latè consideretur, significat amorem cujusvis honestatis; unde idem Augustinus Epist. 29. dixit: *virtus est charitas, qua id, quod diligendum est, diligitur;* aliquando significat personam, quæ diligendò nos sua dona nobis communi-

cat, quo in sensu dicitur. 1. Joannis 4. *Deus Charitas est;* aliquando significat ipsa dona, quæ à Deo nos diligente accipimus. Sic 1. Joannis 3. *videte qualem Charitatem dedit vobis Pater, ut filij Dei nominemur, & simus;* & in hac acceptione sub nomine *Charitatis* venit etiam gratia justificans, ut diximus num. 3. de gratia justificante, & notavit etiam Ripalda in præfatione ad istum tractatum; cæterum nulla ex his acceptionibus est propria *Charitatis*, prout ad hunc tractatum spectat, ut dicemus disputatione sequenti.

\* \* \*

DISPU-